



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XV. De Prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

suam pacem, & Antiphona B. *MARIÆ*, ut habetur in fine Completorij. Alij tunc discedendum sit à Choro; alioquin in fine ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litanæ *b.* ut in propria Rubrica dicitur.

A. Et in fine illius Versus *Divinum auxilium maneat, semper nobiscum.*

B. Tunc enim statim post *Benedicamus*, omisso Versu *Fidelium* inchoantur illæ Missæ, vel Psalmi, vel Litanæ, aut Officia.

TITULUS XV.

DE PRIMÆ.

I. **A**D Primam *Pater noster*, *Ave MARIA*, *Credo*, *DEVS in adjutorium*, Hymnus *Jam lucis*. Deinde inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermisâ, ut dicitur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis & Ferijs dicuntur ut in Psalterio. In Festis autem & tempore Paschali tres tantum, ut etiam ibi annotatur.

II. Post Antiphonam dicitur Capitulum *Regi sæculorum*. In Feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum *Pacem*. Deinde Responsorium breve *Christe Fili DEI*. Post Responsorium breve in Officio Duplici, & infra Octavas, statim dicitur Oratio *Domine DEVS Omnipotens*. In alio Officio dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus, omnia ut in Psalterio. Ad Versum autem *Adjutorium* Hebdomadarius signat se signo Crucis à fronte ad petus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel

Instruct. II.

K

tan-

tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis: *Tibi Pater, vel Vobis Fratres, & Te Pater, Vos Fratres*. Et similiter dicit *Misereatur nostri, perducatur nos, peccatis nostris*; quod etiam servatur ad Completorium. In Feriali Officio, quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio.

III. Post Orationem Primæ, vel, si dicatur Officium B. MARIÆ, post illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium, deinde dicitur *Pretiosa* cum reliquis, quæ etiam dicantur ab ijs, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli in Festis, & aliquibus diebus pro lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium; alioquin de Communi: alio tempore tam in Dominicis, quam Ferijs Lectio brevis Officio illius Temporis in Proprio assignatur.

C. Martyrologium sic dictum, quia Catalogum Sanctorum, sed Martyrum præcipue continet, de quibus jam olim, teste S. Augustino, quotidie ad Altare commemoratio fiebat, ideoque pridie recitabantur eorum, quorum Natalitia sequenti die recolenda erant, nomina. Porro rectè notat Gavantus l. 1. c. 21. n. 8. omnes quidem Leges initio Martyrologij descriptas, sed quartam & sextam præcipue, diligenter observandas esse, ut scilicet is, de quo Officium dicendum est, primo loco ponatur, secundo ij, de quibus commemoratio facienda est. Translato autem Festo alicujus Sancti, non fit translatio etiam in lectione Martyrologij, nisi in casibus in ipso Martyrologio expressis. Sed & Vigiliâ translata in Sabbatum, non anticipatur Lectio de Vigilia in Martyrologio, licet anticipetur Officium cum jejuniis. Quomodo autem nomina quædam difficiliora in Martyrologio contenta pronuntiari debeant, rectius in fine hujus Instructionis per specialem Catalogum indicabitur.

TITU